UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

**Fleury, Claude**

**Augustæ Vindelicorum, 1786**

**VD18 90119355**

§. 24. Josephus Ragotsius Princips a Papa anathemate perculsus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-67878

Visual Library

annos Viennæ Cæſareis ſumptibus alebatur. Hoc igitur fatis functo, locus Viennæ aperiebatur Albanienſi Patriarchæ, qui a quatuor Auſtriacæ gentis Præſulibus, ac tribus Nobilibus ad Caroli VI. alloquium introducebatur, cui etiam pientiſſimus Imperator annuam penſionem benigne pollicitus eſt, donec ſedatis belli tumultibus de tuto in ſuam Diæceſin reditu ſatis proſpectum fuiſſet. Sæc. XVIII. A. C. 1738.

## §. XXIV.

### *Joſephus Princeps de Ragoczy a Papa anathemate perculſus.*

Belli minus proſpere contra Turcas geſti cauſſa & culpa a non paucis rejiciebatur in Friderici Henrici Comitis de Seckendorff Cæſarei Belliducis ſectam Auſtriacæ felicitati invidioſam, ab aliis vero in turpem ejus quæſtum; quocirca Viennæ tertia Novembris die a duodecim militibus & tribus Officialibus cuſtoditus hæſit, eique per Sallernium & Ruffſteinium Comites omnia ejus ſcrinia Imperiali ſigillo obſerata fuere: Menſe autem Decembri cognoſcendæ huic cauſſæ datum eſt initium, deputatis ad id Comitibus Harrachio, Wurmbrandio & Corduba Cæſareis Belliducibus & Keſſlero, Arn-

Sæc. XVIII. A. C. 1738.

bergio ac Felzero Bellici Senatus Conſiliariis, quibus a ſecretis erat Zeppenburgius: Ferunt quidem, Seckendorffium allata accuſationum capita diluiſſe, certum tamen eſt, illum a Viennenſi cuſtodia in Græcenſem arcem abductum fuiſſe, ut a populi impotenti ira in eum exardeſcentis violentia tempeſtive eriperetur. Nec parum quoque ad improſperum hujus Bel- ſucceſſum contulere perfida Joſephi Ra- gotſii Principis molimina: Natus hi- erat ex perilluſtri quidem, infauſtiſſim- tamen ſtirpe; jam enim ejus Abavu- Georgius I. Tranſylvaniæ Princep- Anno 1620. rebellibus Bohemis & An- no 1632. Sacris Imperii hoſtibus arm- ſua contra Cæſarem conjunxerat ejusque Filius Georgius II. Turcarum Suecorumque ope Hungariæ libertatem a Cæſare oppreſſam cauſſatus, hoc Re- gnum invaſit, ac tandem ab ipſis Tur- cis magna clade multisque vulneribus affectus Varadini die decima octava Maij Anno 1660. miſerrimus quidem Catholicus tamen obiit, relicto Filio Franciſco Ragotſio, qui paternæ rebel- lionis hæres Hungariam miſere deva- ſtavit, & iteratæ ſeditioni contra Cæ- ſarem irretitus, intercedente ejus Matre apud Imperatoris aulam bene merita veniam obtinuit, & nonniſi trigint- ſeptem

ſeptem annos natus Anno 1681. deceſſit. Filium reliquit quinquennem Franciſcum Leopoldum Ragotſium, qui ab Emerico Teckellio Comite, cui Franciſci Mater nupſerat, educatus jam a teneris rebellionis venenum hauſerat: Anno tamen Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo octavo unacum Matre ſua captus Viennam abducebatur, ubi ab Imperatore Leopoldo, qui ejus quoque Tutor eſſe dignatus eſt, perbenigne exceptus, ſuadentibus Collonitſio Cardinale & Comite Czakyo Neohuſium Bohemiæ Urbem literis erudiendus mittebatur; emenſo autem ſtudiorum curſu octodecim annorum juvenis Carolinam Amaliam Haſſo-Rhenofelſenſem ſibi connubio junxit, demum Majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, anno Domini milleſimo ſeptingenteſimo adverſus Cæſarem cum aliis Hungariæ Proceribus conſpiravit, ab ipſo tamen Amico ſuo Longevallio Pro-Centurione proditus, ac proprio chirographo convictus Neoſtadienſem in arcem captivus deducebatur; inde vero, corrupto cuſtodiæ Præfecto, fuga elapſus in Poloniam contendit, ubi cum Berenzenio Comite rebellionis ſocio nova perdendæ patriæ conſilia excoxit, ac biennio poſt in Hungariam cum ſuis effuſus poſt iteratas clades in Poloniam Sæc XVIII. A. C. 1738

Sæc. XVIII. A. C. 1738.

rurſus aufugere coactus eſt, tandem vero vi pacis Paſſarovicenſis in Turcia ſubſiſtere permiſſus, exul in Ponto Euxino miſeram vitam egit, donec ſexaginta novem annos natus, anno hujus ſæculi trigeſimo quinto, ſemper in fide Catholica conſtans, propria tamen culpa ſemper infelix mundi theatrum reliquit. Porro Joſephus ejus Filius natu major percepto Patris obitu Neapoli in Gallias ad Conjugem ſuam Bethuniam profugit; anno autem hujus ſæculi trigeſimo ſexto a Baſſa Osmanno ſeu Bonnevallio infami illo Apoſtata, ex Galliis Conſtantinopolin pergere rogabatur, facta ſpe, quod Imperatore Turcicis armis preſſo ipſe Sultani ſuppetiis auctus, Tranſylvaniam facili negotio recuperare poſſet, dummodo Religioni Catholicæ nuntium mittere, & Ottomanicæ ſuperſtitioni nomen dare vellet: Deteſtabatur quidem juvenis Princeps apoſtaſiam, ambabus tamen ulnis excepit oblatam recuperandi Principatus occaſionem. Igitur anno ſequenti Sultanum inter & Ragotſium ſolemne erigitur pactum, vi cujus hic Tranſylvaniæ Princeps & Hungariæ Dux declaratus erat. Tam ampla ſpe ebrius, ac die duodecima Septembris cum ingenti pompa Conſtantinopolin ingreſſus, Widinum contendit, ubi editis literis ſuam agendi

agendi rationem vindicare, omnesque Christianos Principes ad Hungariam a Cæſaris jugo liberandam ſollicitare præſumpſit; cum vero horum nullus Orator (excepto Kalkoeno Hollandiæ Legato) Ragotſii literas ad Principes datas acceptare vellet, Hungaros & Tranſylvanos publico diplomate die vigeſima octava Januarii hujus anni ad ſuas partes & defectionem pertrahere nitebatur; aucto demum ſuorum numero in Tranſylvaniam unacum copioſo Turcarum agmine irrupit, ſed iterato repulſus, & in prælio graviter vulneratus, Widinum usque retrocedere compulſus eſt. Paulopoſt a quibusdam Tranſylvaniæ Proceribus conflatæ ſeditionis ſociis revocatus, ſuasque vires parato rebellium agmini jungens, per Hazagenſes Alpium fauces in Principatum penetrare moliebatur: attamen tempeſtive detecta conjuratione per Cæſareum edictum propter læſæ Majeſtatis ac perduellionis crimen tanquam publicæ pacis perturbator & patriæ hoſtis ad mortis ſupplicium die vigeſima nona Aprilis damnatus eſt, adeo, ut a quovis impune capi aut trucidari poſſet, eique, qui vivum decem, qui mortuum ſex millium florenorum pretium eſſet conſtitutum. His tamen minime territus Ragotſius,

Sæc. XVIII. A. C. 1738.

Sæc. XVIII A. C. 1738.

Widini Turcico præſidio tutus, viciſſim publico proclamate decem aureorum millium mercedem illi promiſit, qui ei Lotharingiæ aut Etruriæ Ducis Caput abſciſſum offerret, nec his contentus, Turcas incitavit, ut Semendriam inopino impetu interciperent, trucidatis omnibus præſidiariis: Ipſe vero cum exercitu viginti millium Orſovam obſidere cæpit, Turcis autem Corneæ cæſis, pedem referre coactus ad ſupremum Veſirium confugit.

Tot auſibus Chriſtiano Principe adeo indignis vehementer irritatus Pontifex, urgente Carolo VI. Imperatore die quinta Septembris Ragotſium piorum communione ejectum palam declaravit, promulgata hanc in rem ſequenti Conſtitutione.

*Clemens Epiſcopus, Servus Servorum, ad perpetuam rei memoriam.*

„Romanus Pontifex ab Alto in ſpe„cula militantis Eccleſiæ ſuper gentes „& Regna conſtitutus, ut Vicarius „Chriſti in terris Dominicum gregem „ſibi in Perſona D. Petri commiſſum „paſcat, cuſtodiat ac tueatur, jure „merito ad fidelium ædificationem & „inſi-

„infidelium extirpationem cunctas Apo- Sæc. XVIII. A. C. 1738.
„ſtolicæ poteſtatis vires impendere
„debet, & contra Turcarum perfidiam
„gladium juſtæ ultionis ſtringere, &
„ſupremæ poteſtatis ſibi a Deo traditæ
„ſeveritatem exercere tenetur.

„Cum autem non ſine magno animi „mærore tam ex relationibus fide di„gnis, quam ex publica fama percepe„rimus, & ex noſtra voluntate, ac „mandato poſt factam inquiſitionem per „dilectum Filium noſtrum Proſperum „Columnam generalem Apoſtolicæ Ca„meræ Auditorem ad evidentiam ma„nifeſtum ſit, quod gravi ac periculoſo „bello inter dilectiſſimum Filium no„ſtrum Carolum, Romanorum Impe„ratorem Electum, Catholicum Hiſpa„niæ Regem & Turcas Crucis Chriſti „inimicos exorto, Joſephus Ragotſius „defuncti Franciſci Filius, in reprobum „ſenſum datus contra Chriſtianam Re„ligionem & præfatum Regem Caro„lum, electum Imperatorem pernicioſa „conſilia cuderit, & Tranſylvaniæ Prin„cipatum atque Hungariæ Regnum in„vaſurus, variis ac iniquis promiſſis & „conditionibus ſollicitatus, cum Tur„cico Tyranno impium fœdus inierit, „& ſpeciatim cum eo convenerit, ut ſi „præfatum Regnum, Provincias, & „Regiones armis ſuis, aliorumque ſup-

Sæc. XVIII
A. C. 1738

„peditatis auxiliis occupaverit, illas „arces & loca unacum eorum territoriis „& appertinentiis vi parta & occupata, „quæ Ottomanico Regno vicina ſunt, „Tyrannicæ poteſtati & Imperio aſſerta „remaneant. Inſuper pollicitus eſt „idem Joſephus, quod tam ipſe, quam „ejus Succeſſores in perpetuum Tur„cico Tyranno conjuncti, ac eidem ſub„jecti, omniumque ſuorum hoſtium ho„ſtes futuri ſint, & quotiescunque vel „in bello, vel alia quacunque de cauſſa „& occaſione id neceſſarium viſum fue„rit, proprio ære in præfato Tranſyl„vaniæ Principatu & Hungariæ Regno „milites conſcribere, & ad juvandos „perfidos Chriſtiani nominis hoſtes at„que ad exequenda perverſa eorum „molimina non modo validum exerci„tum inſtruere, ſed & octoginta Tur„carum millia, durante bello & exi„gente neceſſitate in præfato Regno & „Provinciis alere & retinere vellent. „Alia inſuper impia, injuſta & Chri„ſtiano Nomini injurioſa, necnon ani„marum ſaluti & Chriſtianis Principibus „ac ditionibus noxia iniit fœdera, pacta „& promiſſa. Cum ergo hæc & plura „alia omnibus Nationibus ſint manifeſta „ac notoria, ac plurium teſtimoniis „ita firmata, ut nullo pacto negari, „excuſari, aut confutari queant, hinc

„Nos

„Nos, quibus ex commiſſo ſupremi Sæc. XVIII.
„Apoſtolatus officio competit anima- A. C. 1738.
„rum ſaluti & Chriſtianorum Regno-
„rum indemnitati proſpicere, cum ejus-
„modi impia & abominanda facinora
„& ſcelera non ſine maxima fidelium
„offenſione patrata, impunita permit-
„tere non poſſimus, aliunde vero in
„Chriſtianorum armis contra juratum
„communemque hoſtem, promoven-
„dis, necnon in fovendis piis præfati
„Caroli Regis conſiliis pro Religionis
„Catholicæ incremento ſuſceptis no-
„ſtrum Sedisque Apoſtolicæ beneplaci-
„tum, opemque omni quo poſſumus
„modo, auxiliante Deo præſtare intenti
„ſimus, hinc habita ſuper his cum Ve-
„nerabilibus Fratribus noſtris S. Ro-
„manæ Eccleſiæ Cardinalibus prævia
„deliberatione matura, de ipſorum Fra-
„trum conſilio, quamvis jam dudum
„contra eos, qui talia agunt, per Ge-
„neralium Conciliorum decreta & Apo-
„ſtolicas tam noſtrorum Prædeceſſorum
„Conſtitutiones, quam per noſtras, præ-
„ſertim per Bullam *in Cœna Domini*
„quotannis promulgari ſolitam ſat ſu-
„perque proviſum ſit, nihilominus ite-
„rum nomine Dei Patris omnipotentis,
„Filii, & Spiritus ſancti, necnon au-
„ctoritate SS. Apoſtolorum Petri &
„Pauli & noſtra Joſephum Ragotſium

Sæc. XVIII. A. C. 1738.

„defuncti Franciſci Filium, ceterosque
„omnes ejus complices, adhærentes,
„fautores, conſiliarios & ſequaces, cu-
„juscunque ſtatus, gradus aut digni-
„tatis ſint, qui nefandis ejusmodi acti-
„bus opem, conſilium, vel auxilium
„dederunt, vel daturi ſint, excommu-
„nicamus, anathematiſamus, & dam-
„namus: omnibus quoque Chriſti Fi-
„delibus ſub pœna excommunicationis,
„aliisque in *Cœna Domini*, vel aliis pœ-
„nis & ſententiis per alias Conſtitutio-
„nes Apoſtolicas latis inhibemus &
„prohibemus, ne cum ipſo, aut cum
„ejus complicibus aut ſociis ullum ne-
„gotium, commercium, familiaritatem,
„conſortium &c. habeant, ſed ſicut in-
„fidelibus, ita nec ipſis quoque arma,
„equos, ligna, annonam & bellica in-
„ſtrumenta deferant, aut transmitti cu-
„rent, nec vel ab ipſis transmiſſa reci-
„piant, nec illis, qui talia audent,
„opem, conſilium aut favorem palam
„vel ſecreto, directe vel indirecte ſub
„quocunque prætextu per ſe vel per a-
„lium aut alios, quomodolibet præ-
„ſtent, ſed potius illos tanquam ex-
„communicatos, anathematiſatos, ab-
„ſciſſos, damnatos & publicos fidei
„hoſtes omnino abominentur: Hic enim
„Filius perditionis cum ſuis ſociis &
„ſequacibus partem habeat cum impiis
„ſibi

„ſibi fædere junctis: & qui eorum per- Sæc. XVIII.
„niciem per ſcelerata conſilia promovit, A. C. 1738.
„ſegregatus ſit a Chriſtianorum con-
„ſortio: quique in eorum ruinam con-
„ſenſit ac conjuravit, in perpetuum ab
„Eccleſia Dei excluſus & ſegregatus
„maneat. Eapropter Venerabilibus
„noſtris Fratribus, Patriarchis, Archi-
„epiſcopis, Epiſcopis, ſicut & dilectis
„noſtris Filiis Abbatibus, Prioribus,
„Præpoſitis, Decanis, Archi-Diaconis,
„Archi-Presbyteris, Plebanis, Recto-
„ribus, aliisque Prælatis Eccleſiarum
„& Monaſteriorum, eorumque Vica-
„riis, necnon Capitulis & Conventibus,
„Eccleſiis & Monaſteriis, ceterisque
„Eccleſiaſticis, Sæcularibus & Regu-
„laribus omnem & ſingulorum Ordi-
„num præſertim in Hungariæ Regno
„& Tranſylvaniæ Principatu aliisque
„vicinis ac finitimis Regnis, Provin-
„ciis, regionibus & locis in virtute
„S. Obedientiæ præcipimus & manda-
„mus, ut ipſi & quivis eorum in par-
„ticulari, ſi per præſentes deſuper re-
„quiſiti fuerint, præfatum Joſephum,
„omnesque ſuos complices, fautores
„& ſequaces, obſervatis ſolitis cære-
„moniis & Eccleſiæ ritibus tanquam
„excommunicatum ſæpius denuntient,
„& ab aliis denuntiari faciant, ut hi
„ab omnibus vitentur & abhorreantur,
„do-

Sæc. XVIII
A. C. 1738

„donec præfatus Ragotſius, ejusque „ſocii ac ſequaces reſipuerint, & ab „impiorum conſortio & ſocietatem re„ceſſerint, & ſeriam de patratis pœni„tentiam egerint, ac demum a Nobis „ſolis (excepto articulo mortis) vel ab „aliis, quos ſpecialiter deputaverimus „impertiendæ abſolutionis gratia di„gnos ſeſe reddiderint &c. Hoc diploma eadem die in conſuetis Romanæ Urbis locis publice affixum Princeps Ragotſius eo ipſo tempore recepit, quo unacum ſupremo Vezirio e caſtris redux, Conſtantinopolin pergere parabat, ibidemque cum Gallico apud Aulam Turcicam Legato Marchione Villanovano, ſupremo Vezirio & Baſſa Osmanno ſeu Comite Bonnevalio de duris futuræ pacis conditionibus Cæſari præſcribendis conſultabat. Aſt hoc ipſo anno nondum evoluto vaſtiſſimis ſuis ſpebus ac conſiliis immortuus Charnawodæ periit, anno ætatis ſuæ trigeſimo octavo die decima ſeptima Novembris. Princeps erat, ſi ab hæreditaria rebellionis labe immunis fuiſſet, ob animi fortitudinem, bellicæ rei experientiam rarasque naturæ dotes Principatu ſupremo digniſſimus, propria tamen culpa, & inconſulto in Cæſarem odio ad vile Turcarum mancipium redactus. Ita nempe apes leviter irritatæ, dum

dum innocuis temere aculeum infigunt, hoc ipſo ſeſe mellificio prorſus ineptas reddunt, ac demum pereunt. Sæc. XVIII. A. C. 1738.

## §. XXV.

### *Diverſæ Clementis XII. ſummi Pontificis Conſtitutiones.*

Præter hanc Conſtitutionem adverſus Ragotſium editam ſummus Pontifex hoc item anno varia alia promulgari juſſit decreta, & quidem die decima quarta Martii Congregationi & Collegio S. Familiæ Chriſti extra muros Civitatis Neapolitanæ erecto, eorumque Eccleſiæ, & Alumnis ad preces Matthæi Ripæ fundatoris indulſit, ut privilegia, gratias, indulgentias atque exemptiones cum Congregationibus Oratorii S. Philippi Nerii & Piorum Operariorum communes habere poſſent: Nec his contentus Pontifex, eidem quoque Collegio conceſſit eadem privilegia, quæ olim Urbanus VIII. Papa Alumnis & Convictoribus Propagandæ fidei indulſerat. Ut autem Clemens in ſuis Statibus luxum temperaret, ſimulque ſuæ ditionis Mercatoribus conſuleret, die decima quinta Martii ſtatuit, ut deinceps pro ſericis mercibus, quæ ex alienis ditionibus intra Statum Eccleſiaſticum invehuntur,